

## Apud Inferos

David cum amicis cavernas explorare solet, et multos ante annos me ad talem explorationem invitavit. Ab initio illa excursio ad Inferos mihi omnino displicuit: dum ningit et ventus fortis flat prope ianua cavernae vestimenta nobis erant induenda quibus in caverna a saxis asperis defenderemur. Frigore temens in cavernam intravi quo saltem a ventu tuta eram. Sed ab omnibus saxis guttae aquae stillabant: post pauca momenta temporis vestimentum omnino aqua erat imbutum. Mecum frustra volutans cur illa exploratio mihi umquam visa esset bonum consilium cum amicis meis illam semitam arduam per eam cavernam ingressa sum lucernis nostris tenuibus illuminatam. Mox cautela maxima per saxa nos libravimus caventes ne pede lapsa in hiatum caderemus, mox flumina subterranea erant transeunda quae in voragine praecipites abibant, mox rimae in saxis nobis erant superandae quae tam erant angustae ut corpore saxis coartato vix respirare possemus.

Denique ad illam partem cavernae pervenimus quae 'trachea gigantis' appellabatur: cuniculus humilis quinquaginta passuum longitudinis paene omnino aqua impletus. Obstupefacta et perterrita Davidem rogavi quomodo illud obstaculum nobis sit transcendendum: ventre serpente, capite vix ex aqua eminente. Postquam David illud obstaculum superavit suspirans ventre serpens in eum cuniculum ingressa sum dum vestimentum aqua imbui sentio et galea ad saxum supra aquam situm alliditur. Post aliquot gradus subito terrore capta summa voce me respirare nequire clamavi. Ab omnibus partibus sonus percussus vocis meae resonuit risui aliorum immixtus. Tum vocem Davidis ridentis audio: "*Sara, quomodo clamare potes nisi respices?*"

Timore ira perpulso per aquam serpsi Davidi magna voce male dicens. Cum denique frigore laborans et voce rauca ex aqua emersi me quam celeriter fieri posset ex caverna egredi poposci. Pro dolor interim caelum deterius factum: tempestati nivosae obiecta celeriter vestimenta madida pro vestimentis siccis mutavi me numquam iterum in cavernam aliquam ingressuram esse constituens. Sed ut fieri solet illud consilium haud diu perduraret.